

SCRIPTA

Numéro Scripta : 399

Auteur(s) : Alexandre III [pape]

Bénéficiaire(s) : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1163, 4 août

Lieu d'émission : Bourges

Action juridique : confirmation générale

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Alexandre III, à la demande de l'abbé Pierre [de Cluny] et des religieux, confirme l'abbaye de Jumièges dans la possession de ses biens sis à Jumièges, Heurteauville, Yainville, Le Mesnil [-sous-Jumièges], Le Trait, Duclair, Épinay [-sur-Du-clair], Varengeville, Trubleville (comm. Saint-Paër), Saint-Vaast [-Dieppedalle], Hautot [-l' Auvray], Émondeville (comm. Saint-Vaast-Dieppedalle), Vinemerville, Bourville, Limanville (comm. Saint-Vaast-Dieppedalle), Bretteville (comm. Varneville-Bretteville), Tourville [-la-Rivière], Gouy, Cottévrard, Bosc-Bérenger, Gromesnil (comm. Cottévrard), Rouen, Les Cottes (comm. Boisguillaume), Guiseniers, La Bucaille (comm. Guiseniers), Hennezis, Bosc-Roger, Mézières, Genainville, Hardeville, Norville, Caudebec [-en-Caux], Lillebonne, Vieux-Port, Hauville, Le Landin, Flancourt, Épreville [-en-Roumois], Pont-Authou, Saint-Martin-du-Parc, Malleville [-sur-le-Bec], Trouville [-la-Haule], Corneville, Quillebeuf, Saint-Aubin-sur-Quillebeuf, Sainte-Opportune-près-Vieux-Port, Motteville, Pont-de-l'Arche, Les Damps, Léry, Jouy [-sur-Eure], Gauciel, Miserey, Rouvray, Cerisey (comm. Gauciel), [Saint-Pierre d']Autils, Saint-Just, Saint-Marcel, Saint-Étienne-sous-Bailleul, Gauville [-près-Verneuil], Piseux, Ouézy, Vieux-Fumé, Varaville, Coulonces, « Geroldivilla (Grouville ?) », Dame-Marie, Vimoutiers, Les Crouttes, Le Mesnil-Renouard, Saint-Pierre-du-Manoir, Bayeux, La Luzerne, Verneuil, Bouaffle, Bû, Osmeaux, Villejuif, Ivry [-sur-Seine], Colombières (comm. Colombes), Vaux [-sur-Eure], Montataire, Villers-Saint-Paul, Crécy, L'Heure (comm. Le Havre ou Graville-Sainte-Honorine), Dives, île de Hayling, « Winterburnestoth », « Chentonia ».

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° LXXXV, t. 1, p. 210-221.

b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 119, p. 213-217.

Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2^eéd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 10920, t. 2, p. 172.

Texte établi d'après a

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filius Petro, abbati Gemmeticensis monasterii, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri ut fidelis devotio laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et prefatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar patris et predecessoris nostri sancte recordationis Eugenii pape, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur ; statuentes ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : Gemmeticum videlicet, in quo idem monasterium situm est, cum ecclesia sancti Valentini, cum terris, pratis, silvis, piscariis, aquarumque decursibus a loco qui dicitur Belingetuit usque ad Josepsartum ; Hartelvillam ; Eudonis villam cum ecclesia sancti Andree ; villam que vocatur Masinile cum ecclesia sancti Filiberti ; capellam sancti Martini de Tractu cum terra et decima ad eam pertinente ; Durclerum cum ecclesia sancti Dionisii et omnibus ad eandem villam pertinentibus ; partem ville que dicitur sancti Martini de Spineto ; in Warengerii villa ecclesiam sancte Marie cum decima ad eam pertinente ; medietatem Turbide ville et decime cum ecclesia sancti Paterni ejusdem ville ; ecclesiam Sancti Vedasti cum terra, decima et hominibus quos in eadem villa habetis ; ecclesiam de Hotot cum terra, decima et hominibus ad eam pertinentibus ; terram quam habetis apud Amundi villam cum hospitibus et ceteris in eadem villa ad vos pertinentibus ; partem decime quam habetis in Winemarivilla et in Burivilla ; capellam Le Mainville ; ecclesiam de Fliniaco ; partem quam habetis in Belnaco ; partem decime de Brettevilla ; ecclesiam de [Turvilla] et ecclesiam de Goiel cum terris et decimis ad easdem pertinentibus ; et ecclesiam sancti Martini de Coteverat, ecclesias de Bosco Berengerii et de Grossomaisnili cum hominibus, terris et decimis que in his tribus villis habetis ; in suburbio Rothomagi, ecclesiam sancti Andree cum tribus hospitibus et virgulto ; in eadem civitate, mansum pertinentem ad turrem Alveredi cum ipsa turre ; medietatem ville que dicitur Scote, campum qui dicitur Plantaharanc ; prata que habetis apud Hermentrudis-villam ; ecclesiam sancti Dionisii de Gisniaco et majorem partem ville cum terra et decimis et ceteris ad vos pertinentibus ; capellam sancti Nicolai de Buscailla ; partem decime et hospitum quos habetis in Hanesia ; partem decime de Bosco Rogerii et de Matheriis ; majorem partem ville que dicitur Genesvilla cum ecclesia sancti Petri, terra, hospitibus et omnibus in eadem villa ad vos pertinentibus ; medietatem Hardreville ; Nutrivillam cum ecclesia sancti Martini, terris cultis et incultis, piscariis et omnibus ad eandem villam pertinentibus ; in villa que dicitur Caldebec, unum molendinum ; apud Lillebonam, unum molendinum ; portum qui dicitur Tutus cum terra et hospitibus ; terram quam habetis in Hausvilla et hospites cum ceteris que ad vos pertinent ; ecclesiam de Landinco ; decimam de Frollandicuria ; partem decime quam habetis in Sprevilla, partem quam habetis in ecclesia sancti Dionisii de Ponte Altou cum terra, hospitibus et sede unius molendini et ceteris ad vos pertinentibus ; ecclesiam Sancti Martini Senix (sic) ; ecclesiam de Malla villa ; Turovillam cum ecclesia sancte Marie, terris, silvis, decimis et omnibus ad eandem villam pertinentibus ; apud Cornevillam, unum molendinum ; Cheleboum cum ecclesia sancte Marie, terris cultis et incultis, pratis, piscariis et aquis ; Wamburgum cum ecclesia sancti Albini ; piscariam quam habetis in Mara ; partem quam habetis in Maltevilla. In Ebroicensi episcopatu, Pontem Arche cum ecclesia sancti Vigoris, terris, decimis, aquis, piscariis et earum appendiciis ; hospites quos habetis apud Les Dans cum ecclesia ejusdem ville ; vineas cum hospitibus quos habesantis apud Leiri ; Gaudiacum cum ecclesia sancti Petri, decimis, terris cultis et incultis, silvis, aquis, piscariis cum molendino uno et earum appendiciis ; Wausiel cum ecclesia sancti Petri, decimis, terris cultis et incultis ; decimam ville que dicitur Miseri ; unum molendinum in fluvio qui dicitur Ithun cum uno hospicio ; terram quam habetis in villa que dicitur Rovereu cum hospitibus, ecclesiam sancti Martini ejusdem ville cum decimis et earum appendiciis ; Karisi cum capella sancti Leonardi ; in Longavilla, parrochiam que dicitur Altiz cum ecclesia sancti Petri, decimis, vineis, terris cultis et incultis, silvis, aquis, piscariis, pratis cum earum appendiciis ; tertiam partem decimarum Sancti Justi et Sancti Marcelli ; villam que dicitur Cantalupus cum ecclesia sancti Stephani, decimis et omnibus earum appendiciis ; ecclesiam de Gauvilla, ecclesiam de Puteolis, cum earum decimis. In Sagiensi episcopatu, Osiacum cum ecclesia sancti Albini, decimis, terris cultis et incultis, vineis, pratis, aquis, molendino uno, silvis et omnibus earum appendiciis ; ecclesiam Vadi Fumerii cum hospitibus quos in eadem villa habetis ; terram quam habetis apud villam que dicitur Warravilla cum omnibus in eadem ad vos pertinentibus ; Coluncellas cum ecclesia sancti Paterni, decimis, terris, aquis, molendinis, pratis, et Geroldi villam cum suis appendiciis ; villam que dicitur Donnamarca cum ecclesia sancte Marie, cum decimis, terris, pratis, aquis,

molendinis, silvis, cum suis appendiciis. In Luxoviensi episcopatu, Vimonastrum cum ecclesia sancte Marie, decimis, terris, pratis, aquis, molendinis et reliquis earum appendiciis ; Criptas cum ecclesia sancti Michaelis, decimis, terris cultis et incultis, pratis, aquis, molendinis, silvis et omnibus earum appendiciis, et ea que ad vos pertinent in Maisnili Renwardi. In Baiocensi episcopatu, ecclesiam sancti Petri de Manerio cum decima sua et terra ad eam pertinente ; in suburbio ipsius civitatis terram et hospitia que ad vos pertinent, et decimam telonei civitatis et vicecomitatus totius provincie Baiocensis ; villam que dicitur Lucerna cum ecclesia et molendino uno et omnibus ad vos pertinentibus. In Carnotensi episcopatu, Vernolium cum ecclesia sancti Martini, decimis, terris, silvis, et earum appendiciis ; villam que vocatur Bou cum ecclesiis sancte Marie et sancti Leodegarii, decimis, terris, silvis, et decimam omnium que in eadem villa ad comitem Drocencem pertinent ; decimam molendinorum de Ulmeas ; villam Sancti Martini cum ecclesia, decimis, vineis, terris et reliquis earum appendiciis. In Parisiensi episcopatu, medietatem ville Judee, partem quam habetis in villa que dicitur Ebriacum et in Columberiiis cum omnibus in eisdem villis ad vos pertinentibus ; vineas quas habetis apud villam que dicitur Vallis. In Belvacensi episcopatu, apud Montem Thare, ecclesiam sancti Petri et Leonardi [cum] vineis, terris, pratis, et tertiam partem unius molendini cum decimis quas Walterus clericus de Claramonte (sic) apud Montem Thare et Crissi canonice vobis et per vos ecclesie vestre concessit, cum omnibus aliis in eadem villa ad vos pertinentibus ; vineas quas habetis apud villam que dicitur Villare Sancti Pauli ; partem decime quam habetis apud Crisseium ; decimam Planimontis ; apud Pressi, decimam sancti Philiberti ; apud villam que dicitur Lura, quattuordecim summas salis ; apud Divetam, sexdecim sestarios ; in salinis Rodberti Bertramni septem summas salis. In Anglia, in episcopatu Wintoniensi, majorem partem insule que Halingeia dicitur cum ecclesia Omnium Sanctorum et capella sancte Marie et totius insule decimis, piscariis et molendino uno, silvis et omnibus in eadem ad vos pertinentibus ; terram et hospites quos habetis apud Leugam ; in episcopatu Sarisberiensi, apud Witeburnestoch, ecclesiam sancti Petri cum decimis et terra, hospitibus ad eam pertinentibus ; in Bathoniensi episcopatu, ecclesiam de Cheutonia cum capella, decimis, terra, hospitibus et omnibus ad eam pertinentibus. Antiquas etiam et rationabiles consuetudines in monasterio vestro hactenus conservatas vobis nichilominus confirmamus. Obeunte vero te, nunc prefati monasterii abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, previderint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur infuturum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, sinon presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore Dei ac sanguine redemptoris Domini nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Ihesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

(Rota :) Dans les deux cantons supérieurs, Sanctus Petrus, et Sanctus Paulus ; dans les deux cantons inférieurs, Alexander papa III ; en légende, † Vias tuas, Domine, demonstra michi.

BENEVALETE.

Ego Alexander catholice ecclesie episcopus subscripsi. † Ego Hubaldus, Hostiensis episcopus, subscripsi.

† Ego Bernardus, Portuensis et sancte Rufine episcopus, subscripsi.

† Ego Gualterius, Albanensis episcopus, subscripsi.

† Ego Hubaldus, presbiter cardinalis tituli sancte Crucis in Jerusalem, subscripsi.

† Ego Henricus, presbiter cardinalis tituli sanctorum Nerei et Achillei, subscripsi.

† Ego Johannes, presbiter cardinalis tituli sancte Anastasie, subscripsi.

† Ego Albertus, presbiter cardinalis tituli sancti Laurentii in Lucina, subscripsi.

† Ego Guillelmus, tituli sancti Petri ad Vincula presbiter cardinalis, subscripsi.

† Ego Jacobus, diaconus cardinalis sancte Marie in Cosmydin, subscripsi.

† Ego Oddo, diaconus cardinalis sancti Nicholai in Carcere Tulliano, subscripsi.

† Ego Ardicio, diaconus cardinalis sancti Theodori, subscripsi.

† Ego Boso, diaconus cardinalis sanctorum Cosme et Damiani, subscripsi.

† Ego Cinthius, diaconus cardinalis sancti Adriani, subscripsi.

† Ego Petrus, diaconus cardinalis sancti Eustachii juxta templum Agrippe, subscripsi.

† Ego Manfredus, diaconus cardinalis sancti Georgii ad Velum Aureum, subscripsi.

Datum Biturici per manum Hermanni, sancte romane ecclesie subdiaconi et notarii, .II. nonas augusti, indictione .XI., incarnationis dominice anno .M°. C°. LX°. III°. , pontificatus vero domni Alexandri pape III anno quarto.